



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XVII. Qvi Filii Sint Legitimi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

matrimonium, non obstante interdicto iudicis, an matrimonium constabit? In sponsalibus expediti juris est, quod ea solvantur per matrimonium subsequens cum alio aliave, c. *Sicut* 22, & cap. *Si inter* 21, sup. De spons. Idem est, si nullum revera subest impedimentum canonicum inter contrahentes; nam & tunc valere matrimonium dubitare non convenit, eod quod interdictum iudicis non est impedimentum à Canonibus introductum, ut matrimonium contractum dirimat, sed ut impediatur tantummodo, donec de causa cognita sit impedimenti objecti.

Ne tamen interdictum iudicis impunè contemnatur, aut elusorium sit, distinctio quoad pœnam hæc adhibetur, ut, si agatur de impedimento, perpetuam causam habente, quale est impedimentum cognationis, affinitatis, publicæ honestatis, & similia, de quibus supra suis locis egimus, matrimonium quoad cohabitationem mutua interim separetur, quousque de impedimento constiterit: quo probato matrimonium penitus dissolvitur, aut potius declaratur nullum inter ipsos contractum fuisse matrimonium, c. *fin. inf. eod.* Si agatur de impedimento temporali, veluti de sponsalibus, quæ perpetuam causam nõ

habent, sed multis modis, præcipuè per matrimonium subsequens dissolvuntur, sicut latius videre est in Summa mea s. *sponsalib.* contrahentes quidem à se invicem separari non debent, sed pro arbitrio iudicis pœnitentia ipsis imponitur, vel etiam disiunguntur ad tempus à cohabitatione mutua, c. 1, & 2, h. t.

Ex quibus liquet, quo sensu accipiendus sit textus in d. c. *penult. sup. De sponsa n̄vor.* quo matrimonium irritatur contractum contra interdictum iudicis Ecclesiastici: quo scilicet interdixerat iudex, ne partes pendente iudicio de matrimonio, aliud interim matrimonium inirent. Quod cum secus factum esset, consultus hac de re S. Pont. poteris, inquit, *matrimonium tam præsumptuose contractum irritare.* Nam hoc verbum, *irritare*, non ita simpliciter accipiendum est, quasi matrimonium planè & penitus irritandum sit, sed quoad iudicium institutum de prioris matrimonio, ut scilicet posterioris matrimonii usus tam diu irriteretur, quousque prioris matrimonii controversia definita fuerit, per text. in d. c. *fin. h. tit. Gl. & Innoc. ad d. c. penult.* Rationem autem diximus, quod interdictum non sit impedimentum, matrimonium, si contractum sit, dissolvendi.

IN TIT. XVII. QUI FILII SINT LEGITIMI.

SUMMARI A.

1. Legitimi filii aut nascuntur.
2. Aut fiunt per subsequens matrimonium, per rescriptum Principis.
3. Item per adoptionem, per nominationem patris.

EX filiis quidam legitimi sunt, quidam illegitimi. Legitimi aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex iusto matrimonio, quales hi præsumuntur, qui domi ex uxore nati sunt, l. *Filius* 6, D. *De hi qui sui vel alieni iur sunt*, vel saltem ex eo matrimonio, quod publicè & bona fide contractum est, etiam si revera nullum sit, propter latens impedimentum canonicum, c. 2, & ibi latius dicam inf. eod.

2. Fiunt autem legitimi per subsequens matrimonium cum concubina vel alia muliere, ex qua suscepti sunt, cap. *Tania est* 6, ubi etiam latius inf. eod.

Item legitimi fiunt per rescriptum summi Pontificis, sive supremi Principis secularis, de quibus in cap. *Per venerabilem* 13, inf. hoc eod. tit. Reliqui liberi, qui illegitimi sunt, dicuntur naturales, nothi, spurii, manzares, adulterini, qui quales sint, explicabitur ad d. cap. *Per venerabilem.* De his igitur omnibus agitur Tit. hoc nostro.

Sunt & iure civili alii modi legitimandi, videlicet per adoptionem, per oblationem curiæ, de quibus tit. *Instit. De nupt.* l. 3, & l. *Communium* 9, C. *De natural lib.* Item ubi pater liberos suos naturales vocat in testamento, sive in instrumento publico, sive privata manu scripto habente subscriptionem trium testium, non adjiciendo tamen, quod liberi naturales sint, uti videre est in Nov. 89, & 217, & in *Auth. Sine legitimis cum Auth. seq. C. jam d. tit.* Verum de his nulla hoc Tit. mentio est.

In Cap. primum.

SUMMARI A.

1. Species facti.
2. Causa successione hereditaria quatenus sit fori Ecclesiastici.

Species facti hæc proponitur. Quidam Herennius nomine cum Titiam in uxorem duxisset, & hæc patri suo defuncto succedere vellet, intervenit patruus Titiae, volens eam exheredare, id est, submovere ab hereditate patris (ita enim hoc verbum, exheredare, exaudiendum est) ideò quod nata fuisset, antequam pater ejus matrem in uxorem accepisset. Ude præterdit eam illegitimam esse, & subsequenter in rapacem hereditatis paternæ. Hujus rei querelâ ad S. Pont. delatâ, mandat hoc textu nostro Alexander III. Titiam hæc censendam & declarandam esse legitimam filiam patris sui, patrioque inhibendum, ne hereditatis paternæ nomine ei molestiam inferat, adjectâ poenâ excommunicationis, si contrâ fecerit.

Hic principio occurrit, liberos antea natos per subsequens cum eadem muliere matrimonium effici legitimis, quod ad cap. Tansa 6, inf. eod. fulius persequemur.

Cæterum mirum videtur, cur de successione hereditariâ, quæ à jure civili inventa & prodita est, & ob id ad sæculare judicium propriè pertinet, immisceat se hoc cap. nostro S. Pont. contra

textum in cap. Causam 7, inf. eod. Sed respondetur, quod cum successio hereditatis in specie cap. nostri pendear ex jure matrimonii, rectè eo prius deciso, quod scilicet Titia legitima filia fuerit patris sui, decernitur quoque per quamdam consequentiam, ne in succedendo patri impediatur per patrum. Si enim filia est, ergò hæres. Quo argumento est usus D. Paulus ad Rom. c. 8, Si filius est, ergò & hæres. Quid enim necesse est de hereditate judicium novum institui, cum ejus causa per necessariam consequentiam jam decisa sit, latâ scilicet sententiâ pro matrimonio. At si talis causa sit, quæ ex matrimonio non pender, veluti si filius ejus ex possessione rerum hereditariorum agat interdicto recuperandæ possessionis, ea utique non est fori Ecclesiastici, sed sæcularis, cum nihil commune habeat cum matrimonio, imò ne quidem cum causa hereditatis, l. Naturaliter 12, § 1, D. De acquir. vel amitt. poss. ac proinde Ecclesiasticus iudex hac in quaestione male dicitur, sed adiri debet iudex sæcularis, secundum decisionem textus nostri, in d. can. Causam 9, 7, & ille cum ante omnia restituere, omnia causa matrimonii, sive jure, quo filius hæres sit, c. In literis 5, sup. De restit. spoliat. c. l. § qui à me D. De vi c. vi arm. Sic fit, ut si sola petitio hereditatis instituitur, nulla quaestione status mota, legitimus an illegitimus filius sit, nullius alterius judicis cognitio sit, quàm sæcularis judicis. Butr. hic. Adde quæ dicam latius ad c. Lator inf. eod.

In Cap. Cùm inter 2.

SUMMARI A.

1. Liberi ex putativo matrimonio nati an legitimi?
2. An & quorum alter malâ fide contraxit?
3. An & pendente lite super impedimento matrimonii?
4. Litis contestatione induci malam fidem.
5. Liberi omnes separato matrimonio alendi à parentibus.
6. An communibus expensis?
7. Alimentorum nomine quæ veniant.

Certi juris est, liberos ex justo matrimonio natos esse legitimos, & parentum suorum in hereditatem successores, § qui igitur tra-

sit. De patr. potest. juncto § 1, & passim Instit. De hered. quæ ab intestato defer. c. § legitimi c. ibi Glos. Nov. 89, Quib. modis naturales effie sui Si verò liberi ex justo matrimonio nati non sint, propter latens impedimentum canonicum, veluti consanguinitatis, affinitatis, vel alterius, quid juris sit, his duobus capp. constituitur.

Et quidem textus noster in cap. 2, eos non minus legitimos esse pronuntiat, quàm si ex vero matrimonio nati essent, dummodò parentes eorum publicè & sine contradictione contraxerint matrimonium. Publicè, intellige præmissa denuntiatione in Ecclesia, ut rectè hic interpretatur Gl. & probat textus in c. fin. sup. De clandest. desponsat.

Sponsat. nisi aliter usu receptum esset, ut hæc denuntiatio omitteretur, sicut latius tradidimus ad d. c. fin. Adde & bonam fidem, quod scilicet parentes contrahentes matrimonium ignoraverint se impedimento aliquo canonico detineri, cap. pen. inf. h. t. Ut enim liberi ex tali matrimonio putativo habeantur legitimi, necesse est, utrumque concurrat, videlicet quod parentes publicè & bonâ fide contraxerint. Si enim utrumque, vel alterum desideretur, non erunt legitimi liberi, d. cap. fin. §. si quis, & cap. Referente v. inf. eod. † Benignè tamen receptum est in favorem liberorum, ut si alter parentum dumtaxat in bona fide sit, alter in mala, nihilominus liberi ex tali matrimonio nati legitimi habeantur, & utriusque parentum legitimi hæredes sint, d. cap. penult. Glos. Innoc. Præpos. ad d. cap. fin. De clandest. de sponsat. Etenim monstrum esset, inquit Glossa, si quis esset partim legitimus, partim illegitimus, quemadmodum ut quis partim liber sit, partim servus, l. Duobus 30, D. De liberali causa. Adde quod sufficit eos conceptos esse, licet postea pater moriatur, vel matrimonium per sententiam divortii dirimatur, propter responsum Pauli Jurisc. in l. Qui in utero 7, & l. Paulus 11, D. De finit. hom. Qui in utero est (inquit Paulus) perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus queritur: & notant Glos. & Panorm. hic.

Non ignoro, de jure civili non valere matrimonium, quod ab ignorantibus parentibus ita contractum est, sed spurios haberi liberos, l. 3. C. Solutio matrim. Verum non sequimur hac in re jus civile, c. fin. inf. De secund. nupt. Cum enim Ecclesia sustineat hoc matrimonium, quod publicè & bonâ fide contractum est, donec constet de impedimento canonico: rectè quoque liberos ex eodem matrimonio natos legitimos pronuntiat, & consequenter legitimos hæredes parentum suorum, si quidem unum ex altero subsequitur, ut dictum sup. ex ipso D. Paulo ad Rom. c. 8.

Illud verò notandum est ex hoc cap. 2. quod pendente lite super impedimento matrimonii, nihilominus interea concepti liberi non minus legitimi sint, quàm si ante litem essent concepti. Sufficit enim liberos conceptos esse ante sententiam divortii. Idem notant hic Panorm. & Ant. Butrius. Et ratio in promptu est: si enim pendente lite, matrimonii usus minimè interdictus est, sicut probat text. in c. 2. sup. Vt lite pend. nihil in-
nov. non debes ex eo, quod legitimè factum est,

ulla pœna sequi, vulg. l. Gracchus C. Ad L. Iul. De adult.

Non obstat, quod per litem contestationem inducatur mala fides, l. Sed ex lege 28, §. si ante litem D. De pet. hered. Quia id obtinet in rei vindicatione & petitione hæreditatis, in quibus possessor etiam bonæ fidei tenetur unâ cum re, quæ petitur, restituere fructus tam perceptos, quàm qui percipi potuerunt, tamquam per litem contestationem factus sit malæ fidei, l. Cerium 22, C. De rei vindic. §. 3, Instit. De officio jud. At secus est in lite super matrimonio. In ea enim liberi, tamquam ex aliena re percepti, non petuntur, sed tantummodo ut separetur matrimonium, propter impedimentum canonicum. Manent igitur hi liberi parentibus suis, etiam si fortasse ob controversiam factam de matrimonii validitate dubitari incipiat.

Quod autem postremò in hoc c. 2. subiicitur de hujusmodi liberis alendis à parentibus post separatum matrimonium, id commune est omnibus liberis, etiam si scientibus parentibus ex hoc vel alio damnato concubitu nati sint, per text. in c. Cum haberet 5, inf. De eo qui duxit in matr. Idque ex æquitate juris Canonici adversus rigorem juris civilis, quo prouidentur ali hujusmodi liberi à patre, Auth. Ex complexu C. De incest. & inutil. nupt. Quod latius persequere apud And. Gail. lib. 2, Obs. 88.

Cæterum hæc queritur, an communibus utriusque parentis expensis ali debeant? Non existimo; sed primo triennio ali debent à matre, deinde à patre, l. pen. C. De patr. potest. nisi alter parentum inops sit: nam hoc casu in subsidium alteri incumbit præstatio alimentorum, l. Si quis cum liberis 5, D. De liberis agnos. Bald. ad d. l. pen. † Alimentorum autem appellatione omnia veniunt, quæ ad vitam degendam sunt necessaria, ut sunt cibaria, vestitus, & habitatio, quia sine his corpus ali non potest, l. Legatus 6, D. De aliment. & cibar. leg. item venit potus necessarius, l. Verbo victus 43, D. De V. S. Ubi tamen meminisse oportet, si filius se alere possit operis suis, non teneri parentes ad eum alimentandum, d. l. Si quis à liberis 5. sed & si filius, & ibi Bart. præterquam si ejus conditionis sit filius, ut dedecus esset operas suas alteri locare, Panormit. ad c. 2. sup. De convers. infid. si quidem illud nos posse dicimus, quod salva dignitate nostra fieri potest, l. Nepos Proculo 125, in fin. D. De V. S. Et quod eleganter dicit Papinianus:
Ddd 3 nupt

nus: Quæ facta lædunt pietatem, existimatio-
nem, verecundiam nostram, & (ut generaliter di-
xerim) quæ contra bonos mores sunt, nec facere

nos posse credendum est, *text in l. Filius 15, D. De
condit. instit.*

In Cap. Transmissæ 3.

SUMMARI A.

1. Neganti filium suum esse an fides adhibenda?
2. Ex educatione non ducitur firmum argumentum fili-
ationis.
3. Filiatio probanda certis iudiciis & testibus.
4. Certa iudicia sunt, primò si filius domi natus sit.
5. Licet mater interim cum alio consueverit.
6. An & si mater alibi pepererit?
7. Quid si neget mater partum ex marito conceptum
esse?
8. Præsumptio pro filio admittit probationem in contra-
rium, ex absentia diuturna.
9. Item ex infirmitate mariti, vel alio vitio.
10. Secundò iudicium filiatiōis præbet educatio.
11. Tertio nominatio patris.

Nesennius cum Titium à puero educasset,
cohabitante sibi Mæviâ, cum qua postea
contraxit matrimonium, ex eadem filios
sustulit. Mortuo Nesennio, filiis ejus hæredita-
tem petentibus, intervenit Titius, gerens etiam
se pro filio & hærede, licet à vicinis spurrius dica-
retur. E contra verò Nesennius & Mævia nega-
bant Titium spurrium suum aut legitimam filium
esse (intellige superstitem Nesennio, nam de ejus
hæreditate hic agitur, cum aliter viventis nulla
sit hæreditas, l. 1, D. De hered. vel act. vend.) Sed
dicebant se pietatis intuitu eum educasse. Qua
de re consultus S. Pont. rescribit hoc cap. nostro,
† standum esse negationi conjugum, nisi certis
iudiciis & testibus probetur esse filius. Ratio hu-
jus decisionis est, quòd affirmanti non credatur,
nisi id, quòd affirmat, legitime probaverit, l. 2, D.
De probat. & l. 1, C. eod. tit. Igitur deficiente proba-
tione, pro negante sententia fertur, l. Qui accusare
4, C. De edendo & c. ult. §. 2. sup. De iur. iur. Neque ju-
vat Titium, quòd ab eis educatus fuerit; † nam
ex educatione nullum firmum argumentum du-
citur filiatiōis, cum extraneus quandoque ab
iis alatur, l. Quidam cum filium 123, D. De verb. obl.
At verò probatio necessariò concludere debet, l.
Neque naturales 10, C. De probat.

Itaque ad probandam filiatiōem opus est cer-
tis iudiciis & testibus, juxta hunc textum nostrum;
certis quidem quoad patrem, quia hic non nisi
iudiciis, id est, conjecturis demonstrari potest:
mater autem, cum semper certa sit, etiam testi-
bus, l. Quia semper 5, D. De in ius vocando. Hinc il-
lud Telemachi apud Homerum:

Ex illo natum mater me dicit: at ipsa
Nescio; nam certum quis possit ferro parentem?

Certa autem iudicia sunt in patre, si filius ex
uxore sua domi natus sit. Nam eo ipso præsumi-
tur ejus esse filius, l. Filium D. De his qui sui vel a-
lieni iur. ad eò licet uxor tempore cohabitationis
adulterium admisserit, per text in l. Miles 11, §. defun-
cto D. Ad l. l. de adult. Tradunt Panorm. hic,
Bald. ad l. fin. C. De communi seruo manum. & in cap.
Per literas sup. De probat. Castr. ad l. 2, num. 3, D.
De liberis & posth. Boët. decis. 299.

Et quamvis Alciatus reg. 3. præsumpt. existimet
non rectè deduci ex d. §. defuncto, ut etiam is præ-
sumatur ex marito conceptus, licet interim ma-
ter cum alio consueverit: siquidem ex his verbis
textus, cum possit & illa adultera esse, & impubes de-
functum patrem habuisse, non statim sequatur, Ergò
lex hoc præsumit; quia multa sunt possibilia, quæ
tamen non præsumuntur, d. l. Neque natales. Unde
hanc d. §. defuncto rationem reddit, quòd iudicium
adulterii contra matrem institutum non debet
nocere filio, ex quo res cum matre, non cum filio
acta est, l. 3, §. causa cognitio D. De Carbon. edicto, & l.
3, §. pen. D. De iur. iur. Res verò inter alios acta al-
teri præjudicare non debet, l. fin. C. Res inter alios
acta. Nihilominus putat Alciatus eamdem sen-
tentiam veram, idè quòd partui benignior sit.
At verò in re dubia benigniorem interpretatio-
nem sequi non minùs iustius est quam tutius, in-
quit juris regula, in l. Ea qua in partes §. in re dubia
D. De R. l. &, ut eleganter ait Baldus, ad l. Filium
num. 17, D. De his qui sui vel alieni iur. potius præ-
sumitur possibile honestum, quàm possibile in-
honestum.

Quæ

6 Quâ ratione Palzottus in tract. de Nohis spuris- que filiis c. 24. idem obtinere censet, etiam si mater non in marito ædibus, sed apud alium, cum quo commisceri solebat, puerum peperisset, si tamen eo in loco non invito viro habitasset, maritoque ad eam liber quocumque tempore aditus patuerit; nam adhuc iustus mariti filius intelligitur.

7 Sed & si asserat mater eum non ex marito, sed ex alio viro conceptum esse, tamen præsumptionis locus erit; ut scilicet ex marito potius susceptus dicatur. Nec enim matris professio nocere debet filio, l. pen. D. De probat. & per eundem text. Palæot jam d. loco. Idem tradit post alios Menoch. de arbitr. jud. qu. casu 59. num. 27 & Alciat. d. præsumpt. 37. num. 4. Hinc Bartolus ad d. l. Filium num. 2. improbat factum eujusdam Regis, qui ob confessionem matris morti vicinæ, quod eum non ex patre Rege, sed ex milite suscepisset, Regno se abdicaverat, quia non tenebatur matri credere, facit text. in Auth. Quod obtinet. C. De probat. & in l. 3. §. 1. D. De S. C. Syllan nisi fortè tam vehemens esset matris persuasio, ut ei credere deberet filius, & ob id lætam conscientiam haberet: nam hoc casu deberet filius abstinere ab hæreditate patris sui putativi, ne contra conscientiam agendo ædificet ad gehennam, c. Literas 11. §. porro sup. De restit. spoliat. & cap. fin. sup. De præscript. de quo Lassius Dominicus Soto de just. & jure lib. 4. quæst. 7. art. 2. Ex quibus liquet, nihil inre esse, uxor adultera sit, sive publica meretrix, vel à marito suo discesserit, dummodò accessum ad eam maritus habuit, ita quod ex se filius concipi potuerit, sicut docet etiam Covarr. in IV. Decret. p. 2. c. 8. §. 3. num. 10.

8 Cæterum hic omittendum non est, præsumptionem hæc pro filio admittere probationem in contrarium; veluti si constet maritum diutius abfuisse, quàm filius ex ipso concipi potuerit, d. l. Qui filium D. De his qui sui vel alieni jur. sunt. Sicut declaravit Justinianus in filio, qui post mortem vel absentiam mariti undecimo mense completo natus erat, cum partus tamdiu in utero contineri non possit, Nov. 39. de restit. & c. §. unum siquidem vers. mulier enim, imò ne quidem ultra decimum mensem, teste Ulpiano in l. 3. D. De suis & legis. Qui tamen menses non præcisè sumendi sunt, sed etiam paulò amplius, videlicet duobus vel tribus diebus post decem menses, sicut probat Menoch. loco sup. citat. num. 40. cum seqq. Tamen si perfectus partus edi possit septimo mense, ex sententia Hippocraticis, quæ extat in l. Septimo 12. D. De stat. hom.

Secundò eliditur hæc præsumptio filiationis, si constet maritum infirmitate vel alio vitio laborare, ut generare non possit, d. l. Filium. Nec enim præsumptio ad impossibile trahi potest, c. Quia verisimile 10. sup. De præsumpt. & in certis non est conjecturæ locus, l. Continuus 137. §. 2. in fine D. De V. O.

Secundum indicium est filiationis, quæ ex tractatu sive educatione tamquam filii colligitur. Nam hac ratione constituitur in possessione filiationis: aded ut filius verus intelligatur, donec contrarium probetur. Felin. ad cap. Per tuas num. 13 sup. De probat. ex sententia Ant. Abbatis, Bart. & aliorum. Palæot in tract. de Nohis spuris quo cap. 22. qui testatur id communi omnium opinionè receptum esse, & probat textus in l. 1. §. 1. D. De quæstionib. & in l. Circa 14. D. De probat.

Quod notandum est quoad successionem parentum & præstationem alimentorum, quæ debentur filio à parentibus. Et ratio est, commodum possessionis, quod in eo veritur, ut possessor tamdiu in possessione retineatur, fructus, aliisque commoditates percipiat, donec possessione legitimè privetur, l. Quidam 18. D. De probat. cap. Quærelam 14. sup. De elect. c. 3. De causa possess. & propriet. & §. commodum Institut. De interd. Dixi, ex tractatu sive educatione, quæ tamquam in filium collata est; aliàs sola educatio non sufficit, juxta textum nostrum.

Tertium indicium est, patris nominatio, non quidem nuda (cum & affectionis testandæ causâ quis nonnumquam filius appelletur, Nemo 58. D. De hæred. instit. l. 5. C. De testam.) sed quæ eo modo prolata est, ut enixam patris voluntatem ostendat: veluti si in judicio quis confessus sit, aliquem esse filium suum, l. 1. §. Iulianus D. De lib. agnosce. vel extra judicium, si spontè & deliberatè non perfunctoriè filium pronuntiaverit: ut si, verbigratia, pater in epistola sua ad uxorem missa quæpiam filium suum compellaverit, l. penult. D. De probat. aut filii nativitate libro suo consignarit, sicut tradit Decius ad cap. Per tuas sup. De probat. Nam pater filium ita compellendo, patrem se faceret, & consequenter filium in possessione filiationis constituit, sicut tradit larè Covarr. in 4. Decretal. p. 2. cap. 8. §. 3. num. 8. Idem observatur in fratre, l. In epistola 13. C. De probat. ut videre est latius apud Jacobum Menoch. de arbitr. jud. casu 89. num. 77. cum seqq.

Sed & hæc duo posteriora indicia sive conjecturæ

Auræ necessariò non concludunt filiationem; sed his interim statuitur, donec probetur contrari-
um, arg. l. Si chirographum 24. cum l. seq. D. De probat.

SUMMARI A.

1. *Causa matrimonialis pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum etiam incidenter.*
2. *Quæstio status ad quem spectet.*
3. *Sententia in causa matrimonii non transit in rem iudicatam: secus in causa status.*

Quemadmodum causa matrimonialis com Judice Ecclesiastico cognoscenda & dirimenda est, si principaliter intenteretur, s. 2. sup. De iudic. ita & si incidenter in Iudicium veniat, per hunc textum nostrum. Cum enim nepos peteret partem hæreditatis avi sui defuncti, & patruus excipiendo eum repelleret, quòd pater suus non esset legitimo matrimonio procreatus, & consequenter nepos sit incapax hæreditatis avi sui (nam excludo patre ab hæreditate patris sui, excluditur & ejus filius, licet hic ex legitimo matrimonio natus sit, propter interruptam successione ex capite patris, qui non legitimus est, l. fin. C. De naturalib. lib.) hæc quæstio natalium prius per Iudicem Ecclesiasticum cognosci debuit, cum præjudicialis sit ad causam hæreditatis, utpote quæ ex natalibus pendeat. Deinde redditi jubetur ad priorem Iudicem sæcularem. Convenit cum eo textus in c. pen. sup. De ordine cognoscit. Quod tamen verum esse censent Doctores, si quæstio matrimonialis in iure, non in facto consistat; putà si disputetur de vi ipsius matrimonii, utrum legitime contractum sit, non ubi nulla de matrimonio contentio est, sed tantum dubitatur, an filius ex tali matrimonio natus sit, quæ est quæstio facti, & idcirco rectè per Iudicem sæcularem expeditur. In textu verd nostro agitur de jure matrimonii, an scilicet pater ex legitimo matrimonio natus sit: unde ad Iudicem Ecclesiasticum hæc quæstio remissa fuit.

Non obstat textus in l. 3. C. De iudic. & in l. 1. C. De ordine jud. ubi quæstio status, hoc est, an quis filius sit, vel servus defuncti, si incidat in petitionem hæreditatis, per eundem Iudicem decidatur, etiam si principaliter Iudex de statu cognoscere non possit. Non, inquam, obstat, quia quæstio status non est causa spiritualis sive Ecclesiastica,

In Cap. Lator 5.

sæcularis, sed civilis. Unde mirum non est, si & Iudex sæcularis de ea possit cognoscere. Ex quo fit, ut si civilis causa incidat in spirituale, rectè quoque illa tractetur coram eodem Iudice Ecclesiastico, arg. dist. l. 3. & d. leg. 1. & notant Butt. & Præp. hic per text. in cap. 3. sup. De donat. inter vir. & Præp. Quia non repugnat jurisdictioni Iudicis Ecclesiastici, ut causas civiles cognoscat & dirimat, Authen. Clericus quoque, & Auth. Statimus C. De Episc. & cleric. cap. Si diligenti 12. sup. De foro competentis.

Præterea ex hoc textu notandum est, quòd licet sententia in causa matrimonii lata numquam transeat in rem iudicatam, sed semper comperito errore revocari possit, cap. Lator 7. sup. De sent. & re jud. secus tamen esse in causa natalium, ratione hæreditatis, à qua si non fuerit appellatum, vel appellatum quidem, sed appellatio deserta est, sententia transit in rem iudicatam. Cujus hæc ratio est, quòd in his sibi præjudicare potest pars, quæ appellavit, vel appellationem deseruit, cum solum ejus præjudicium sine ullo peccato vertatur. At in matrimonio cum duplex sententia ferri possit, una contra matrimonium, altera pro matrimonio; priore casu ideo sententia non transit in rem iudicatam, ne ii, quos forte Deus conjunxit, per hominem separentur. Posteriore casu, si pro matrimonio feratur sententia inter eos, qui in gradu prohibito vel alias illicitè coniuncti sunt, ideo sententia non transit in rem iudicatam, quòd hic subest periculum animæ, c. Quod super 5. & c. penult. sup. De consang. & affinit. Quod non est in nostro casu, & similibus, in quibus nullum subest periculum animæ; veluti si actum sit de matrimonio inter eos contracto, qui alioqui idonei sunt ad contrahendum matrimonium, & sententia lata sit pro matrimonio. Hæc enim specie, si non appelletur, vel appellatio deserta sit, sententia pro matrimonio transit in rem iudicatam, cum hic nullum subest peccatum, & videatur, qui non appellavit, vel deseruit appellationem, tacitè consentire in novum matrimonium, Gl. ad d. c. Lator De sent. & re jud. latè Andr. Gall. lib. 1. obser. 112.

In Cap.

In Cap. Tanta 6.

S U M M A R I A.

1. Liberi non legitime nati sunt legitimi per subsequens matrimonium.
2. An & nati ex matrimonio putativo?
3. Non interest, liberi sint nati ex concubina vel meretrice.
4. Legitimati hoc modo an succedant in bonis parentum.
5. An & legitimati matrimonio à senibus vel sub mortem contracto?
6. Et quid si matrimonium intermedium intercesserit?
7. An succedant in iura primogenitura?
8. Filii Clericorum in minoribus an per matrimonium subsequens legitimi fiant.
9. Non sunt legitimi ex adulterio nati.
10. Non ex Christiano & infideli.
11. Non ex incestu.
12. Et quid de nepote ex filio naturali?
13. Legitimatio hac an procedat, si ve natiuitatis siue conceptionis tempore potuerit inter parentes consistere matrimonium.

Textus huius Capituli omnium ore decantatur, quem ut explicatiùs intelligamus, eius verba hic recensenda sunt: *Tanta est vis, inquit, matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Sin autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurcius erit filius, & ab hereditate repellendus, praesertim si in mortem uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.* Haec textus. Ex quo discimus, * quòd liberi antè non legitime nati fiant legitimi per subsequens matrimonium inter eodem parentes contractum, nisi nati sint ex adulterio, hoc est, vivente priore uxore. Idem constitutum est à iure civili; quo tamen praeter matrimonium requiruntur dotalia instrumenta, l. Cum quis 10 C. De natur. lib. & s. fin. Instit. De nupt. de quibus paulò post latius. Rationem textus nostri hanc reddunt Dd. quòd vitium praecedentis concubitus purgetur per matrimonium subsequens, arg. l. 2. C. De his qui vi meritisve caus. & l. pen. D. De condit. ob turp. caus. & ita retrotrahatur matrimonium ad tempus conceptionis liberorum. Quae ratio facit, ut in liberis adulterinis cesset haec legitimatio per matrimonium, sicut fusius dicitur infra.

Ceterum hic quaestio est, An idem obtineat in matrimonio putativo: ut, exempli causà, Titius prolem suscepit ex Maria conlanguea vel uxore alterius, quam talem esse ignorabat, postea cum ea solemniter & bona fide contraxit matrimonium: quaesitum est, an proles illa per huiusmodi matrimonium subsequens legitima facta sit? Quod existimat Bernard. hic in V. aliam, & Buttrius ad c. Quod nobis num. 6. in fine eod. licet hic rem obscuritate sua involvat Eiusdem sententiae videtur Dominicus Geminianus, Consil. 66. Et ratio haec esse potest, quòd eundem effectum habeat matrimonium putativum, quem habet verum & legitimum matrimonium, c. 2. & ibi lavius dixi supra eod. & c. pen. inf. eod.

Contra dicitur Panormit. hic num. 9. quòd scilicet huiusmodi proles non efficiatur legitima per subsequens putativum matrimonium: idque ex sententia Glossae hic in d. V. aliam: sed male, cum Glossa potius hanc sententiam rejiciat. Rationem hanc adfert Panormit. Quod enim liberi ex putativo matrimonio nati legitimi fiant, ut in d. cap. 2. & d. c. penult. id fit, quòd parentes eorum dederint operam rejicitae, utpote matrimonio ante à bona fide & publice contracto. Non verò ubi nullum matrimonium praecesserit; nam tunc parentes illicitae rei operam dabant, atque idcirco nullum ex eo praemium consequi debent. Hanc Panormitani sententiam probat & Didac. Covarr. in IV. Decretal. part. 2. cap. 8. §. 2. num. 20. & Franc. Sarmient. Selectar. Interpret. lib. 1. c. 6. num. 3. verso. cum ergo, quo loco eandem Panormitani rationem adfert, licet obscurius. Praemittit ibid. num. 2. aliam huius sententiae rationem, quòd videlicet matrimonio haec vis tribuatur. Inquit enim textus noster: *Tanta est vis matrimonii.* At verò matrimonium putativum non est proprium matrimonium, sed improprium. Igitur putativo matrimonio haec vis tribui non potest: siquidem verba (inquit) regulariter simpliciter, non secundum quid intelligi debent, l. 1. §. qui in perpetuum D. Si ager vestig. pet.

Verum ratio Panormitani nullius momenti est. cum ea torqueri possit in omnes naturales liberos, in quorum procreatione parentes etiam operam dederunt rei illicitae (quippe omnis concubitus, praeter conjugale, interdictus est, can. Nemo

Ecc

blan-

blandiatur & *can. Meretricis xxxiv quest. 4.*) & tamen hoc textu naturales legitimantur per subsequens matrimonium. Sed nec altera ratio Sarmienti momentum habet. Nam ex ea sequeretur, etiam liberos ex matrimonio putativo postea natos non esse legitimos, cum & hoc casu non sit proprium matrimonium. Neque dubium est, verba proprie accipienda esse, quando scilicet aliter non constat de mente loquentis, aut constituentis, *l. Non aliter 67 D. De legat. 2.* At verò constat, putativum matrimonium à jure æquiparari vero & legitimo matrimonio, quod attinet ad legitimam liberorum, *d. c. 1. & c. penult. inf. eod.* Cur igitur, quod hoc textu nostro constitutum est de vero & proprio matrimonio, idem transferri non debeat ad putativum matrimonium? Unde priorem sententiam omninò amplectendam censeo, quam & *Rota Romana* & alii *Dd.* amplexi sunt, apud *Covarr. jam d. loco* & *Ant. Gabrielium commun. conclus. lib. 6. de legit. concl. 1. num. 4.* & *6.* licet, ut ante dixi, contrarium sentiat idem *Covarr.*

3 Neque interest in legitimatione, quæ fit per matrimonium subsequens, liberi nati sint ex concubina vel ex meretrice, cum matrimonium cum utraque rectè contrahatur, *c. Inter opera 10 sup. De sponsal.* Item parentes disparis sunt genere vel divitiis; siquidem disparitas hæc nihil quoque ad matrimonium pertinet, quod solo contrahentium consensu nititur, *c. 1. sup. De conjug. servor. juncto e. Cum apud 5. De spons. Covarr. d. s. 1. num. 9.* Quo fit, ut nec instrumenta dotalia hoc jure nostro requirantur, licet de jure civili omninò necessaria sint ad hanc legitimationem, ut supra meminimus.

4 Quæ certè indubitata sunt, quod attinet ad matrimonii vim & legitimam liberorum. At difficultate non caret, utrum obtineat quoad successionem hæreditariam in bonis parentum? Movet, quòd de jure civili non legitimantur per matrimonium, nisi soli naturales liberi, hoc est, qui domi ex concubina nati sunt, idque dotalibus sive nuptialibus instrumentis intervenientibus, *s. 1. Novell. 89. Quib. mod. natur. filii efficiantur legit. c. l. Cum quis 10 C. De natur. lib.* Ergo cum hi soli liberi legitimantur per subsequens matrimonium, alii verò non nisi jure Canonico, propter matrimonium, quod proprie juris Canonici est, videtur hos ad successionem hæreditariam admitti non debere, cum hæreditaria successio à jure Civili non Canonico introducta sit, *l. 1. D. De petit. hered. juncto cap. Per venerabilem 13. inf. h. tit.* Et putat Præ-

positus hic num. 20 eos, qui jure Civili tantummodò legitimantur, tantummodò fieri parentum suorum legitimos successores in terris Imperii; reliquos verò minime, hoc est, qui solo jure Canonico legitimi facti sunt per matrimonium. Idem voluerunt *Angelus Perusinus*, & alii, quos refert *Covarr. d. s. 2. num. 8.* & multis rationibus confirmare nititur *Ferdin. Vasq. Illustr. controver. lib. 6. cap. 41.*

Verum idem *Covarr.* eodem loco hanc sententiam non admittit. Siquidem (ait) ratione matrimonii filii censendi sunt legitimi etiam in foro Cæsaris, cum matrimonium jure Pontificio judicetur, non Cæsareo. Unde consequens est, ut & successio hæreditaria ex matrimonio dependens ad omnes legitimos per matrimonium indistinctè pertineat. Si enim filii, quare non tamen hæredes; sicut *D. Paulus* loquitur, *ad Rom. 5. Quare* & contrariam sententiam merito reprobat *Alex. & Jason*, quorum opinionem communem fateatur *Car. Ruinus conf. 211 col. 2. vol. 1. ut testatur Covarr. sæpè allegato s. 1. num. 8.*

Atque idèd non obstant rationes à *Vasquio* allata: ea enim procedunt, quando prohibente jure Civili matrimonium contractum est; hæc enim specie non habet locum patria potestas, non successio hæreditaria, aliaque, quæ juris civilis sunt. At verò cum matrimonium apud Christianos jure Pontificio æstimeretur, etiam in foro civili, necesse est eodem jure contracto matrimonio, sequi eosdem effectus, quos habet matrimonium ex se legitime contractum; cum hi necessarid consequantur ex matrimonio, quomodolibet jure Canonico legitime contracto.

Idem juris est in matrimonio à senibus vel sub mortem contracto cum concubina aut cum alia muliere, ut & eorum liberi illegitimi per matrimonium legitimantur, & admittantur ad hæreditatem parentum suorum, cum inter eos minime matrimonium interdictum sit, *d. cap. Cum apud sup. De sponsal. sic ut videre est latius apud Covarr. sæpè citato loco s. 2. num. 10.* & *Ant. Gabriel. supra cit. loco num. 18.* & præcipuè *Franc. Sarmient. Selectar. Interpret. lib. 1. cap. 6. num. 5. cum seqq.*

Illud in controversiam vocatur, si matrimonium intermedium cum tertia persona intercesserit, & postea eà mortuà ad priorem matrimonium contrahendi causâ redeatur, an nihilominus liberi ex priore nati per matrimonium secundum legitimantur? Exemplo res illustratur. *Titius* liberos genuit ex *Mævia* soluta, id est, nullo matri-

monio junctâ, deinde Semproniam duxit in uxorem; hâc mortuâ redit ad Mæviam, contrahitque cum ea matrimonium: quæritur, an per hoc matrimonium cum Mæviam liberi antea nati fiant legitimi? Sunt qui negant, quasi legitimatio per interjectum matrimonium jam impedita sit, *argum. l. fin. C. De naturalib. lib. & l. Pomponius 13. §. quæstum D. De acquir. vel amitt. possess.* quâ possessio ab alio interrupta non continuatur cum præcedente. Sed rectius contra alii asserunt, quos recenset Didac. Covarr. d. §. 2. nu. 18. Et Anton Gabriel. d. concl. 1. nu. 14. Et ratio est, quia sufficit ad hanc legitimatorem liberorum parentes tempore conceptionis eorum potuisse inter se contrahere matrimonium, sicut constat ex textu nostro. Neque impedit intermedium matrimonium, eò quòd morte sublato sit: neque ulla fuit interruptio legitimatorem, quæ nulla fuit, antequam posterius matrimonium contraheretur. Facit pro hac sententia elegans textus in *l. Tradendis 8. §. 1. D. Communia prædior.* quo loco valet impositio servitutis altius tollendi vel non tollendi, item itineris per alium fundum, etiamsi ædes aliæ vel fundus interjectus sit; ita tamen, ut tunc conualecat servitus, si intermediis ædibus vel fundo postea similis servitus imposita, & sic impedimentum sublato sit.

7 An autem hoc idem obtineat in primogenitura, major inter Dd. contentio est? Primogenituram sive primogenium voco jus, quo primogenitus præfertur fratribus suis, idque vel ex consuetudine, vel ex auctoritate Imperatoris, vel alterius Principis superiorem non agnoscentis, ut passim videmus in Regibus Ducibus, & Comitibus, quorum primò natus præfertur in successione parentum reliquis suis fratribus. Circa hanc primogenituram disputatur à Dd. nostris, an is filius, qui prior ex soluta muliere natus est, deinde alter ex legitima uxore, si postea hâc mortuâ uxore redeat pater ad priorem solutam, & cum ea matrimonium conveniat, an inquam prior filius utpote jam legitimatus per subsequens matrimonium præferri debeat secundo genito ex uxore legitima. Hanc quæstionem multis utrimque allatis auctoritatibus Dd. & argumentis latè examinat And. Tiraq. in tract. suo de jure primogenit. quæst. 34. num. 3. cum seqq. ubi sub num. 4. præfert secundo genitum naturali legitimo, ob rationes ab eo allatas, quas non attinet hic omnes recensere. Duas potissimum adferam, quæ majoris videantur esse momenti. Quarum prior est: licet, inquit, naturalis prior naturâ tamen jure posterior

est, quia naturale & civile vinculum, ex quibus constat successio, reperiuntur prius in legitime nato, quàm in legitimo. Igitur legitimus natus merito præfertur legitimo. At quoties duo requiruntur ad jus aliquod consequendum, is prior est, in cujus persona ea duo prius reperiuntur, *arg. l. Quoties C. De rei vindic.* Altera ratio est, quòd legitimatio non debeat trahi in præjudicium alterius, *per text. in §. si quis sanè & in §. sit igitur licentia Nov. 89. quib. mod. nat. effie. legit. text. optimus in c. Quamvis De refer. lib. 6.* His favore videtur textus noster, dum inquit, *Legitimi habeantur*, quasi legitimati, non verè legitimi sint. Et hanc quoque sententiam videtur sequi And. Cail. lib. 2. observ. 141.

8 E contra verò Did. Covarr. in d. §. 2. nu. 35. præfert legitimatum legitimo filio. Quod sanè probatur per hunc textum nostrum, in quo dicitur, liberos antè ex soluta natos fieri legitimos per subsequens cum eadem matrimonium. Nec movent verba, *Legitimi habeantur*, quia eandem vim habent, ac si dictum fuisset, legitimi sint, quemadmodum docet hîc Panorm. num. 4. asserens in habente potestatem legitimandi paria esse hæc duo, *Sint legitimi, & habeantur pro legitimis.* Quo verò ad rationes supra allatas, prior quidem vera est in specie d. l. Quoties, eò quòd dominium rei venditæ non per nudum contractum emptionis, sed per traditionem transferatur, *l. Traditionibus 20. C. De pactis:* non verò ad propositam quæstionem accommodari potest, cum secundo genito, licet legitime nato, nullum adhuc jus in successione verè acquisitum sit, sed tantummodò habeat spem ad succedendum post mortem patris, quam spem jam antevertit & impedit legitimatio per subsequens matrimonium facta. Quæ responsione eliditur & posterior ratio. Etenim nullum præjudicium fit secundo genito, si, priusquam succedat patri, alter eum præveniat, propter qualitatem legitimatorem, quæ per subsequens matrimonium accedit, & retrotrahitur ad tempus conceptionis prioris filii naturalis.

Nec hîc omittenda est quæstio, quæ traditur à plerisque de Clerico, qui in minoribus ordinibus constitutus, sustulit liberos ex concubina sua, an hi per matrimonium postea cum eadem contractam legitimi fiant? Bartolus in l. 3. n. 5. D. De concubin. distinguit inter Clericum beneficiatum, & non beneficiatum, ut hujus liberi legitimentur per subsequens matrimonium; illius verò minime, eo quòd tempore conceptionis non poterat contrahi, & consistere inter eos matrimonium, quod

quod alioqui necesse est in hac legitimatione, ut pauld inferius latius docebitur. Eandem sententiam Bartoli probat Franc. Sarmient. *Selectar Interpret. lib. 6. c. 5. nu. 7. 8. & 9.* Sed verior est contraria opinio, quam tenent Butrius *num. 19.* & Joan. Andree, *cum aliis, quos recenset & sequitur Did. Covarr. in IV. Decretal. p. 2. c. 8. §. 2. num. 5.* & Ferdin. Vasquius *Illustr. Contr. lib. 6. c. 51. num. 2.* Siquidem sufficit in hac legitimatione, quod tempore conceptionis potuerit consistere matrimonium inter parentes, sicut ex textu nostro recte colligit Joan. Andree, illud loco regula tradens, quod geniti ex quocumque concubitu, qui potuerat esse conjugalis, si tunc consensus matrimonialis intervenisset, in per matrimonium subsequutum legitimentur. Quod & Butrio & Cardinali placeat, teste Præposito *hic num. 12.* At verò constat, Clericum in minoribus existentem etiam beneficiatum posse contrahere matrimonium, per text. *in c. 1. §. 3. sup. De Cleric. conjug.* Quo fit, ut & idem retinendum sit in liberis Monachi-vel Monialis susceptis intra annum probationis, ut & hi similiter per subsequens inter parentes matrimonium legitimi fiant; quemadmodum ex Butrio & Card. tradit idem Præpos. *d. num. 12.* Nam & hic subest eadem ratio, quod scilicet parentes tempore conceptionis poterant matrimonialiter conjugi. Horum sententia suffragari videtur Covarr. *d. §. 2. num. 5. in fine,* licet & hoc in casu Sarmient. *d. num. 8.* his refragetur. Nec enim ejus ratio quidquam efficit, quod asserat liberos ex Clerico vel Monacho natos ideo non legitimi per matrimonium, quod eo tempore, quo concepti sunt liberi, pater non erat solutus. Imò solutus fuit, quia regula continentia nondum se addixerat, *c. Statutus 23. sup. De regularib.*

Atque hæc hæc de liberis, qui per subsequens inter parentes matrimonium legitimentur: nunc consequens est, ut videamus de iis, qui per matrimonium non legitimentur. Et quidem ex textu nostro liquet, filium alterinum, hoc est, qui à viro, vivente uxore, ex alia muliere susceptus est, non legitimum, uxore mortua per matrimonium cum adultera, sed manere spurium, id est, illegitimum. Idem est ex parte mulieris, si ea, superstiti marito suo, filium ex alio suscepit, quod nec hic filius per matrimonium cum adultero legitimetur. Quod tamen ita accipiendum est, quando filius utroque parente sciente ex adulterio susceptus est, non si alter tantum modò scivir, alter ignoret. Nam hujus bonæ fides efficit, ut filius ille legitimus fiat, subsecuto

inter eisdem parentes matrimonio, sicut constat ex iis, quæ supra in principio hujus Capituli adduximus. In adulterinis filiis utroque parente sciente conceptis hanc rationem reddunt Dd. quod inter eos matrimonium tempore conceptionis consistere non potuerit. Nam, ut antè dixi ex Joan. Andr. in legitimatione, quæ per matrimonium fit, necesse est, ut concubitus potuerit esse conjugalis inter parentes. Idem multis auctoritatibus confirmat Ant. Gabriel. *lib. 6. De legit. conclus. num. 55.* Quod non est, ubi in adulterio procreati sunt filii.

Eadem ratione proles ex congressu Christiani cum Saracena vel alia infideli non efficitur legitima per matrimonium, etiam si infidelis postea Christianis sacris initiata in matrimonium cum Christiano conveniat. Panorm. *hic num. 14.* Neque enim antea inter illos matrimonium poterat consistere, *ut d. sup.*

Adde prolem ex incestu procreatam, puta inter cognatos & affines in gradu prohibito, qui si postea ex dispensatione summi Pont. contrahant inter se matrimonium, hanc prolem minime legitimi per hujusmodi matrimonium, idque ob eandem rationem; Adeò quod hac in re pro regula observandum sit, quod quando cum que concubitus non potuit esse conjugalis inter parentes, nunquam liberi fiant legitimi per subsequens matrimonium; & è diverso, quando conjugalis esse potuit, legitimi fiant.

Sed quid de nepote? Ponamus filium naturallem mortuum reliquisse ex justo matrimonio nepotem, an hic nepos per matrimonium postea contractum inter avum & aviam legitimus fiat? Negant Andr. Gail. *lib. 2. Obs. 14. in fine* & Anton. Gabr. *commun. concl. lib. 6. De legit. concl. 1. numer. 57.* ubi ejusdem sententia plures auctores enumerat. Moveret hac ratione Andr. Gail. quod legitimationis principium fieri debeat in filio, quo sublato non potest fieri in nepote. Hæc ratio rem non satis explicat. Sed clarius, ideo nepos non legitimitur, quod pater ejus mortuus sit, & idcirco incapax legitimationis non potest ex patris persona legitimitio ad nepotem descendere, *arg. l. 1. §. ceterum D. De acquir. vel amit. possess.* E contra censet Covarr. *supè cit. §. 2. num. 23.* ob hanc rationem, quod quis possit adoptari in nepotem, non existente filio, *l. Adoptare 37. & l. Adoptivos 43. D. De adopt. ergo & legitimi, mortuo filio.* Quæ consequentia mihi vera non videtur, eò quod adoptio in nepote incipiat, non vero in filio, quod

necess.

necesse est in legitimatione propter successionē. Nam videmus nepotem licet legitimē natum ex naturali filia non succedere avo suo, idē quod in filio naturali interrupta sit successio, ut est text. in d. l. fin. C. De nativ. lib. Unde priorem sententiam juri & rationi magis consonam existimo.

Restat ultima quæstio, quæ magnam difficultatem continet, utrum satis sit in hac legitimatione, quod matrimonium inter parentes potuerit consistere tempore natiuitatis filii, an præcisè exigatur tempus conceptionis; ut si, exempli gratiā, Titia ex adultero filium concepit, dum uterum gestaret mortua est adulteri uxor, & postea matrimonium contractum est inter adulterum & adulteram, antequam nasceretur filius: quæsitum est, an hic per matrimonium fiat legitimus? Quod volunt Hostiens. Joann. Andr. & alii. E diverso censent alii, omnino spectandum esse tempus conceptionis, ut Salicet. & Ant. Rosella, quos citat Covarr. in sapē alleg. §. 2. num. 2, & pro his est text. in l. Paulus 11, D. De statu hom. Paulus respondit, inquit textus, eum, qui vivente patre & ignorante de conjunctione filie conceptus est, licet post mortem avi natus sit, justum filium ei, ex quo conceptus est, non videri. Ex quo aperte probatur, inspiciendum esse tempus conceptionis: ut, si eo tempore valuit matrimonium, filii legitimi sint; sin minus, non sint legitimi, licet

tempore natiuitatis filii valuerit matrimonium: quia macula ex conceptione, non ex natiuitate contrahatur. Ita rectè Franc. Sarmient. *Select. In ter. lib. 1. c. 5. num. 10.*

Qui verò priorem sententiam probant, ut & ipse Covarr. jam d. loco, nituntur textu in l. Qui in utero D. De statu hom. Qui in utero est, ait textus, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quoties de commodis ipsius partus quaritur. Igitur sufficit ad hanc legitimationem consequendam, partum aliquo tempore fuisse in utero solutæ mulieris. Sed non animadvertunt hunc partum ab initio fuisse adulterinum, nec vitium hoc intermedio tempore purgari, unde remanet semper adulterinus. Et textus in d. l. Qui in utero accipiendus est de filio legitimè concepto, vel saltem in concubinato. Hos enim solos agnoscit jus civile; per text. in l. Vulgò 12, D. eod. tit. De statu hom. Nituntur etiam textu in l. Et servorum 5, in fine & §. sufficit D. De ingen. quibus locis ut quis liber nascatur, sufficit, vel aliquo tempore fuisse in libero utero. Nam respondetur, aliud esse in servitute, quæ per manumissionem matris facilius eluitur in filiis adhuc in utero existentibus, cum servitus non delicto matris imputeretur, sed calamitati, ut loquitur textus in d. §. sufficit. Nostro verò casu ex delicto parentum filius adulterinus iudicatur.

In Cap. Per venerabilem 14.

S U M M A R I A.

1. S. Pontifex an & quatenus legitimare possit quoad hæreditariam successionem.
2. S. Pont. extra territorium Rom. Ecclesia in temporalibus jurisdictionem non exercet.
3. An quis pro parte possit legitimari, pro parte non legitimari?
4. S. Pontificis circa legitimaciones potestas.
5. Princeps supremus supplet defectus natalium.
6. Princeps an laicum legitimare possit quoad bona patris sui Clerici?
7. An filios proprios legitimare possit?
8. Qualiter legitimatio hac fiat.
9. Assensus cognatorum an necessarius?
10. An procedat quoad successionem Feudali?
11. Princeps absolutus sua potestate ita legitimare potest.
12. Etiam per alium, ut Comitem Palatinum.

HOC Cap. agitur de legitimatione liberorum, quæ fit auctoritate S. Pontificis, vel alterius Principis superiorem non recognoscentis. Quæ & in usu frequentissima est. Priusquam verò de ea exactius differamus, non abs re erit textum nostrum percurrere, & singula breviter, quoad id fieri potest, perstringere.

Itaque facti species sic se habet. Quidam nobilis Dominus Montis Pessulani in Galliis, dimissa uxore suâ legitimâ, aliam mulierem sibi adsciverat, ex qua cum liberos suscepisset, postulavit à summo Pont. ut ejus auctoritate liberi legitimarentur, ne defuncto se repellerentur ab hæreditate sua: non enim patri succedunt liberi adulterini, *Auth. Ex complexu C. De incest. & inut. nups.* Cui antequam respondeat S. Pont. adducit quasdam rationes, quibus id posse fieri videbatur. Et primò quidem, quod Apostolica Sedes ali-

Ecc 3 quando

quando cum naturalibus & adulterinis liberis dispensaverit, quoad actus spirituales, pura ad ordines Ecclesiasticos, Ergo multo magis dispensare posse videbatur quoad actus sæculares, qui minoris momenti sunt, ut est legitimatio ad hæreditariam successionem. Cui enim licet quod plus est, licet utique quod est minus, *cap. Cui licet De R. l. lib. 6.* Deinde adfert argumentum à simili. Per Episcopalem dignitatem liberatur filius à patria potestate, § *palam Nov. 81.* *Constitutio, quæ de dignitatib. Eccl.* item servi à potestate dominica, si prudens scientiaque eum Episcopus ordinaverit in presbyterum, *can. Si servus absente dist. 54.* Igitur cum hæc juris auctoritate fiant, poterit eadem ratione fieri, ut is, qui propter defectum natalium à successione patria excluditur, auctoritate summi Pont. qui & juris auctor est, restituarur. Tertio hanc rationem adducit, quòd is, qui in spiritualibus legitimarur, intelligatur etiam legitimatus quoad sæcularia; alioquin monstro simile esset, quempiam partim legitimum esse, partim illegitimum: quo fit, ut si ad ordines liberi legitimentur, censeantur quoque legitimati quoad successionem patris sui.

Sed priores duas rationes, quæ nobili favere videbantur, unâ quasi responsione diluit S. Pont. inquiring, illas quidem habere locum in patrimonio B. Petri, hoc est in territorio Rom. Ecclesiæ, in quo ipse auctoritatem S. Pontificis & simul supremi Principis potestatem exercet; † non autem extra ejusdem territorium, ubi nullam jurisdictionem in temporalibus usurpat S. Pontifex nisi certis casibus, quos vide in *Glos. Et apud Dd. ad c. Licet 10, sup. De foro comper.* At verò hic nobilis erat extra territorium S. Pontificis. Non igitur ejus liberi à Pont. legitimari poterunt, propter defectum jurisdictionis in temporalibus, quæ regulariter ad Principis sæculares pertinet, *text. hic in § rationibus igitur, can. Cum ad verum, can. Duo sunt dist. 95. Et can. Novit 13, sup. De judic.*

Ad tertiam rationem, quòd monstro simile sit, quempiam partim legitimari, partim non legitimari, nihil in specie responderi S. Pont. sed præterit, tamquam ad propositam causam nihil pertinens. Nec enim nobilis ille petierat liberos legitimari pro parte, sed simpliciter, in eum tantummodò finem, ut legitimari possent sibi mortuo succedere, nullâ factâ mentione spiritualium, ad quæ haud dubiè S. Pont. liberos voluisset legitimare, si ab eo petierat. Neque ob id monstrofi haberentur, quòd quoad spiritua-

lia, essent legitimati, & non quoad temporalia, quia id dicitur diverso respectu, *ut in specie cap. 1, De filiis presbyt. in 6.* Nam & videmus sorores & fratres legitimos esse successores suorum parentum, non autem filias legitimatas ceteri quoad Ecclesiasticos ordines, quorum tantummodò capaces sunt mares: non tamen ideirò filiarum monstrofæ censentur, *arg. l. Filiusfam. 9. D. De his qui sui vel alieni jur sunt, Et l. Nam quod 14, D. Ad S. C. Treb.* Unde etiam S. Pont. in textu nostro usus est verbo, *Videntur*; quasi non verè monstrum sit legitimatus ad sola spiritualia, non ad temporalia, sed si vulgi potius opinionem spectemus, quam rei veritatem.

Subjungitur hoc textu nostro quarta ratio, non quidem ipsius Pontificis, sed quæ ad persuadendum utebatur nobilis, allato exemplo Regis Franciæ, qui & uxore sua dimissa aliam superinduxerat, & ex ea liberos sustulerat, qui legitimati fuerunt per S. Pontificem. Quare & ipse æquè putabat, ut eodem modo liberi legitimarentur. At huic argumento occurrit Pontifex, docens diversam causam fuisse Pontificem, docens diversam causam fuisse Regis Franciæ. Hic enim, antequam secundam in uxorem duxisset, à priore judicialiter absolutus fuerat per Archiepiscopum Rhemensem: ipse verò nobilis propria auctoritate uxorem deseruerat. Præterea Rex Franciæ nullum superiorem in temporalibus agnoscit; porruit igitur hic sine læsione alterius juris se subicere jurisdictioni S. Pontificis, *l. Est receptum 14, D. De jurisdictione.* Nobilis verò alteri subiectus erat. His itaque cum aliis nonnullis (quæ brevitate causa omittimus) adductus S. Pont. rejicit postulatam ipsius nobilis.

His ita præmissis rem latius dispiciamus. Et quidem constat, ex hoc textu nostro, S. Pontificem habere jus legitimandi quoscunque illegitimos, non solum quoad ordines Ecclesiasticos (quod extra omnem controversiam est) sed etiam quoad successionem hæreditariam, dummodò hoc casu in temporalibus ipsi subiecti sint. Cujus hæc ratio redditur, quòd in subiectis sibi temporaliter summi Principis auctoritate utatur, *text. hic in vers. id autem in patrimonio* † At dubium non est, summum Principem posse supplere defectum natalium, *l. 3. D. De natalib. restit. Nov. 89, Quib. mod. natur. eff. sui,* utpote qui solo humano jure, non divino aut naturali introductus fuit, *d. Novell. 89, in princ.* & consequenter eum tollere vel supplere potest idem summus Princeps. Qui scilicet ut verus juris conditor neque sibi, neque successoribus

bus suis eam potest legem imponere, à qua utri-
que licitum non sit recedere. *l. Si in quis in pr. 22*
D. De legat. 3. & cap. Innocentius 20. sup. De elect. Jure
igitur & S. Pont. defectum natalium per legitima-
tionem supplere potest.

Dixi, dummodò in temporalibus ipsi subjecti
sint; nam in non subditos temporaliter hanc legiti-
mationem exercere non potest, sicut probat
textus noster, in § *in super eum Rex*; cum legitima-
tio superiori suo reservata sit in signum subje-
ctionis, ac proinde ab altero impetrari non po-
test, sicut rectè probat d. text. Unde idem rectè
produciatur ad quemvis alium Principem, supe-
riorem non agnoscens, ut neque is alium sub-
ditum legitimare possit, ob eandem rationem.
Panormit. hic num. 26, latè Covarr. in *IV. Decretal.*
p. 2, cap. 8, § 8, num. 43, ubi tamen hallucinatur,
dum putat, eam legitimacionem ad ea tantum-
modò bona, quæ in ejusdem Principis territorio
sunt, restringendam esse, non verò pertinere ad
alia, quæ extra territorium suum existunt: cum
id minimè probet textus noster, & absurdum
videatur, illa bona separari oportere à persona
jam restituta natalibus per legitimacionem, arg.
l. 2, D. De natalib. rest. & § divus Inst. De excusat. tutor.

6 Sed quaeritur hic, An Princeps saecularis legiti-
mare possit laicum, etiam quoad bona patris sui
Clerici? Quod quidam existimant, eò quòd legiti-
matio legitimum successorem eum faciat, qui
alioquin legitimus successor non erat, per hunc
text. nost. Verior tamen contraria opinio est in iis
bonis, quæ prospectu Ecclesiae ad patrem Cleri-
cum pervenerunt. Ea enim, cum ad Ecclesiam,
cui inservit pater, redire debeant, cap. *Relatum 2,*
& c. penult. sup. De pecul. Cleric. non debet in præ-
judicium Ecclesiae hæc legitimatio extendi, arg.
l. Nec avus 4, C. De emancip. In cæteris verò bonis,
quæ aliunde patri Clerico obtigerunt, veluti ex
hereditate parentum, cognatorum, vel aliorum,
sive ex donatione aliove contractu, nullo habitu
respectu ad Ecclesiam, negari non potest, quin
legitimatio hæc complectatur, cum & Ecclesiae
non debeantur, sed proprio jure ad Clericum
spectent, adeoque de iis pro arbitrio suo possit
Clericus disponere, cap. *Quia nos 7, & d. cap. Relat-*
tum in fine sup. De testam. can. Episcopo, can. Sine
manifeste 22. qu. 1, vide latius Covarr. d. §. 8,
num. 48.

7 Præterea ex hoc textu discimus, Principem,
qui alteri non est subjectus in temporalibus, pos-

se filios proprios legitimos efficere, sicut rectè
notant hic Glossa, & Panorm. in verb. *tamquam*
Princeps cum subditis, & Butt. num. 46, qui idem
obtinere vult in Comite Palatino; ut & is possit
legitimare filios suos illegitimos, ut infra latius
dicetur. Idque fit ob diversas qualitates, quæ in
Principe & Comite Palatino concurrunt: exem-
plo filii familias Consulibus, vel Præsidibus, cui per-
missum est seipsum emancipare, vel in adop-
tionem dare, *l. Si Consul. 3, D. De adopt.* Quamvis re-
ctus fecerit Princeps, ut monet hic Glossa à ta-
li actu absteat, argum. *l. Nec quicquam 9, in pr. D.*
De offic. Proconsul. ne videatur in actu proprio au-
thoritatem suam interponere, cap. *fin. sup. De con-*
stit. & c. Per nostras 26, sup. De jure patron. quemad-
modum hic factum videmus à Rege Franciæ, qui
ut legitimarentur filii sui, maluit id fieri per sum-
mum Pont. quàm auctoritate propriâ.

Hic tamen meminisse oportet, quòd etsi Prin-
ceps legitimare possit quemcumque illegitimum
sibi subditum, sive is naturalis sit, sive adulteri-
nus, sive incestuosus, sive sacrilegus, hoc est, ex
Moniali natus, spectando supremam ejus pote-
statem, quæ potest jus condere, vel ei derogare;
non tamen solet ordinariè hoc beneficium præ-
stare nisi naturalibus liberis, id est, ex concubinâ
natis, § *illud tamen & § fin. Nov. 8, Quib. mod. natur.*
effic. sui. Ac proinde necesse est in legitimacione
liberorum, ut exprimat in libello, quòd liberi
naturales sint, non ex alio concubitu nati: alias si
ex incestu, adulterio, vel alio damnato concubitu
nati sint, legitimatio tamquam obreptitia, nul-
lius momenti erit, *d. § fin.* Ubi tamen hæc quali-
tates liberorum in libello expressæ sunt, potest
quidem Princeps hos liberos legitimare, sed ad-
jectâ hac clausulâ derogativâ, *Non obstante Novellâ*
Quibus natur. modis filii effic. sui, sicut ad *d. § fin. rectè*
monet. Accurf. Quod hanc rationem habet, quòd
rescripta Principum contra jus commune impe-
trata non valeant, *l. fin. C. Si contra jus vel usult. publ.*
Ideoque necessaria est clausula derogatoria, vi-
delicet, *Non obstante tali lege*, argum. text. in *l. Si*
quis 22, in pr. D. De legat. 3, de quo fufius apud Covarr.
in IV. Decretal. p. 2, cap. 8, § 9, num. 7.

Cæterum in hac legitimacione liberorum
non requiritur assensus cognatorum, eò quòd
eorum non interfit, cum pater possit de rebus
suis pro arbitrio suo disponere, & alium quem-
cumque hæredem in bonis suis instituere, exclu-
sis etiam collateralibus, *l. Fratris 21, junctâ l. Fro-*

tres 27, C. De inoff. testam. In quo tamen animadvertendum est, ut, si mater filii naturalis superstes sit, cum qua licet possit contrahi matrimonium, legitimatio locum non habeat, §. *fit igitur licentia d. Nov. Quib. modis natur. eff. legit.* si quidem in patris potestate est legitimare filium naturalem per subsequens matrimonium, & *Tanta sup. eod.* Unde & hoc casu necessaria est prædicta clausula derogatoria. Idem est, si alii extant filii legitimi, ut & hac specie clausula derogatoria addenda sit, cum in defectum legitimorum liberorum hæc legitimatio introducta sit, d. §. *fit igitur licentia.*

10 Et cum legitimatus rescripto Principis quoad omnia legitimatus censetur, nisi aliud rescripto contineatur, quaeritur tamen à Doctoribus, an id locum habeat, quoad successionem feudi? Et certè hac de re extat textus in libris Feudor, in §. *naturalis Si de feudo defuncti contentio sit*, ubi negatur, legitimatum posse succedere in feudum. Naturales filii (inquit textus) licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi, nec soli, nec cum aliis admittuntur. Quem textum, etiamsi is simpliciter loquatur de legitimatis, tamen communiter restringunt Dd. ad legitimatos per Principem, non verò per subsequens matrimonium: si quidem hi in feudum succedunt, licet feudum receptum sit pro se & filiis legitimè natis, sicut ex communi Dd. sententia tradit Jul. Clarus in §. *Feudum quest. 28, num. 4, & 5.* Diversitatis rationem facit favor matrimonii, quo vitium præcedentis concubitus purgatur, aded quòd fingatur retrò contractum matrimonium, id est, tempore conceptionis, uti *sup. eod. ad cap. Tanta latius diximus.* Legitimatio verò per rescriptum Principis est quædam dispensatio cõtra jus commune, quo prohibentur naturales succedere in feudum, d. §. *naturales*, ac proinde legitimatio Principis restringenda est, c. 1, *De filiis presbyt. lib. 6, juncto cap. Odia De R. l. eod. lib. 6, Panorm. ad d. c. Tanta num. 7, cum seq.* Quare errat Franc. Somsbeius in *Comment. ad usus Feudor p. 9, num. 72*, existimans d. §. *naturales* etiam ad legitimatos per matrimonium pertinere, ed quòd is paragraphus simpliciter loquatur de legitimatis. Sed diversitatis rationem jam diximus. Accedat, quòd iniuriam alterius, videlicet domini feudi, cui fortè feudum aperiretur, aut agnatorum vasalli, qui aliàs successuri erant, l. *Nec avus 4, C. De*

emancipat. lib. ubi præclare inquit Imp. Diocletianus, & Maximianus, *Nec in cuiusquam injuriam beneficia tribuere mors est nostri.* Et rescripta ita accipienda sunt, ne lædant alium, l. *Rescripta 7, C. De precib. Imp. offerent.*

Si tamen uti velit Princeps absolutà suâ potestate, possit etiam cum incommodo alieno beneficium concedere, per text. in l. 2, §. *si quis à Principe D. Ne quid in loco publ.* quod tamen non facile facere solet, l. 2, in fine *De D. natal. restit.* Si tamen fecerit, ei parendum est, cum de ejus potestate disputare sit instar sacrilegii, l. 2, C. *De crim. sacrileg.* vel, ut rectius intelligit eamdem legem Salic. Improbare quod Imperator fecit ex certa sententia, est crimen sacrilegii. Et hanc sententiam comprobant quoque multi auctores à Schenck Barone citati *ad d. §. naturales*, quæ & communiter recepta est, teste Julio Claro d. g. 28 num. 1, Sed & hoc casu opus esset clausula derogatoriâ, videl. *Non obstantes §. naturales*, ut supra dictum est, vel hac clausula, *Le plenitudine potestatis*, ut tradit Andr. Gail. *lib. 2, obser. 142.*

Atque hæc non solum obtinent, ubi ipsemet Princeps se legitimat, verum etiam si per alium, puta Comitum Palatinum, propter juris regulam: Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum, cap. *Qui facit De R. l. in 6*, Hi verò Comites extra ordinem fiunt ab Imperatore ad legitimandum illegitimos vel etiam ad alios actus, videlicet ad conferendum gradum Doctoratæ, ad conferenda insignia, vel similia. Quorum officium planè distinctum est à Comite Palatino, cujus in Cod. fit mentio, *sub sit. De officio Comitum sacri Palatii*, cujus officium est præesse omnibus rebus Palatii, & exactiõni canonis emphyteutici.

Quod igitur ad nostros Comites attinet, cum hi mandatâ ab Imperatore potestate utantur, primum omnium eorum codicilli, sive diplomata, quibus potestas eorum continetur, inspicienda sunt. Quod enim ultra agunt, nullius momenti est, l. *Diligenter 5, D. Mandati, & l. fin. D. De jurisd.* Hinc Alexander *conf. 63, num. 6, circa fin. lib. 1.* eleganter inquit, quòd in Comite Palatino habente potestatem à Principe inspicere debeat potestas sibi data: & in dubio non intelligitur data potestas, nisi eo modo, quo Princeps esset legitimatus ex ordinaria potestate, non supremâ; nisi hanc supremam potestatem in eum quoque velit collatam, ut & alios illegitimos liberos

Præter naturales possit legitimare. Quocirca & rectè faciunt Comites Palatini, qui dum aliquem actum vigore Comitatus suæ exercent, tenorem privilegii sui inserunt literis à se datis, quo testen-

tur, se talem potestatem habere ab Imperatore: nam & mandatum in Principis scriptis probandum est, l. unica C. De mand. Princip.

IN TIT. XVIII. QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTIFICARI.

SUMMARIA.

1. Accusare matrimonium quid?
2. Accusare qui & ad quid possunt.
3. Idem an & accusator matrimonii & testis esse possit.

Hoc Tit. agitur de accusatoribus matrimonii, & testibus contra matrimonium tamquam illegitimè contractum † Accusare matrimonium nihil aliud est, quam impugnare matrimonium, sive injustum arguere: quemadmodum & testamentum accusari dicitur, quod in officiosè, id est, contra officium pietatis à patre vel filio factum est, l. Qui repudiantis 17, l. Filius 12 D. De inoffic. testam. & l. In arenam 11, C. eod. t. Aliàs accusare frequentiùs significat, crimen intendere contra aliquem in iudicio, l. Qui cum 14, §. accusasse D. De bonis libertor. & l. fin. C. De accusat.

Ut autem summam rem totam contraham, sciendum est, quòd aut agitur ad separationem tori, propter adulterium, & tunc solus admittitur ad accusandum conjux innocens. Innoc. Butr. Panorm. & Præpos. hic ad Rubr. quia hujus tantummodò interest: cum etiam possit remittere alteri adulterium, non separando se ab adultero vel adultera, c. 3, inf. De adult. Latius Navar. in Manuali c. 22, num. 22, in fine. Aut agitur ad dissolutionem vinculi matrimonialis. Et hoc casu si accusetur matrimonium propter consanguinitatem, primò omnium admittuntur parentes, & his deficientibus, proximiores cognati, can. 1, & 2, xxxv. q. 6, c. 3, inf. eod. ubi hæc ratio redditur, quoniam unusquisque, inquit, suam genealogiam cum testibus & chartis, tum etiam ex recitatione majorum scire laborat. Unde hi præ cæteris rectè admittuntur ad accusandum matrimonium. Post cognatos admittuntur extranei, & inter hos antiquiores & veraciores,

quibus consanguinitas nota est, d. can. 1, & 2, xxxv. q. 6. Idem iudicium est de affinitate & publicæ honestatis iustitia, cum hæc impedimenta metiamur juxta gradus consanguinitatis, sicut à me latius declaratum est, ad cap. Non debet sup. De consang. & affinit. & ad c. 3, sup. De sponsal. Si verò matrimonium accusetur propter impotentiam, ut quia alter ad conjugalem actum exercendum frigidus, maleficiatus, vel aliter impotens est, tunc nulli alii ad accusandum matrimonium admittuntur, quam ipsi conjuges; siquidem horum tantum interest dissolvi hujusmodi matrimoniū. Etenim si non ut veri conjuges, saltem ut frater & foror sibi invicem commorari possunt, c. Consultationi 4, cum c. seq. sup. De frigid. & malef. Butr. & Panorm. hic. Idem juris est circa errorem status, ut quia liber nesciens cum serva contraxit, vel è contrà libera cum servo. Nam & hac specie nullus præter liberum vel liberam ad accusandum matrimonium admittitur, cum hunc errorem sibi invicem remittere possint, & de novo consentire in matrimonium, cap. 2, sup. De conjug. servor. & can. Si quis ingenuus, in verb. si voluerit, xxxv. q. 2. Diversum est in consanguineis & affinibus, in quibus novus consensus in matrimonium nihil operatur, quòd id absque peccato fieri non possit, c. Quod super 5, & d. c. Non debet sup. De consang. & affinit.

Sed quæstionis est, an accusator matrimonii idem & testis esse possit? Respondet Præpos. hic ad Rubr. quòd sic, per text. in can. Si quis, can. Episcopis in Synodo, c. Parentela xxxv. q. 6. Quod tamen Panorm. hic ad Rubr. ita demum obtinere vult, si non tamquam accusator, sed denunciator sitis, qui impedimentum detulit apud iudicium. Tunc enim iudice ex officio inquirente posset etiam is, qui denunciavit, simul esse testis, & probat. text. in c. Cum in tua 27, sup. De sponsal. & in c. 4, sup. De testib.